



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De haereticis Veronensibus cap. 24.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**V**Ix sunt duo anni elapsi, quod quidam diabolo plenus apud Precas se esse Spiritum sanctum publicè prædicabat, cuius insaniam populi nō sufferentes, in cruce posuerunt, & copioso igne circūposito, in carbonem redegerunt. APOLLONIVS : Puto vitam illorum multum execrabilē esse, quorum tam fœda est doctrina. CÆSARIVS : Ut amplius detesteris hæreticorum sectas, vnum tibi de illorum vita subjūgam exemplum.

**T**empore Frederici Imperatoris, cū Lucius Papa *Hæretico* fecisset Veronæ ciuitate Lombardiaæ moram, rū vita multis tam ecclesiarum prælatis, quam regni fœda est. principibus ibidem congregatis, & esset ibi Godescalcus monachus noster tunc maioris ecclesiæ in Colonia canonicus, cum fratre suo Euerhardo canonico Sancti Gereonis, hospes illorum, penè singulis noctibus cum uxore & filia de domo propria egressus est. Quod cùm considerasset Euerhardus, interrogauit nescio quem illorum, quò irent, vel quid agerent? Cui cùm responsum esset, veni & vide, secutus est illos in domum quandam subterraneam, amplam satis, in quā multis ex utroque sexu congregatis, quidam hæresiarcha sermonem blasphemis plenum cunctis tacentibus fecit, per quem vitam & mores illorum instituit. Deinde extincta candela, unusquisque sibi proximam inuasit, nullam habentes differentiam inter legitimam & solutam, inter viduam & virginem, inter dominam & ancillam, & quod horribilius est, inter fororem & filiam. Euerhardus verò hæc videns, ut potest iuuenis luxuriosus atque vanus, simulans se discipulum, hospitis sui filiæ, vel alteri cuilibet puellæ in sermone se coniunxit, cum qua extincta candela peccauit. Cumque hæc actitasset penè annum dimidium, magister cunctis audientibus ait: Iuuenis iste tā studiosè frequentat auditorium nostrū, citò habilis erit ad docēdum alios. Hoc verbo auditio non amplius intravit, & sicut mihi prædictus Godescalcus, cū illum

de hoc argueret, respondit: Sciatis frater me non frequentare conuenticula hæreticorum propter hæres, sed propter pueras. Ecce talis est vita & lex hæreticorum. Nec mirum, quia non credunt resurrectionem, vel gehennam, siue pœnam malorum: impunè enim transire putant, quæcunque agunt. APOLLONIVS: Audiui quod multi hæretici sint in Longobardia. CÆSARIUS: Hoc mirum non est, habet enim suos magistros in diuersis ciuitatibus aperte legentes, & sacram paginam peruersè exponentes.

## C A P V T   X X V .

**E**O tempore quo Otto rex profectus est Romanum coronari in Imperatorem, & issent cum eo loares Episcopus Cameracensis, Henricus Scholaricus sancti Geronis, magister Hermannus canonicus Bonnensis, simul ingressi sunt cuiusdam hæreschæ scholas. Locum quem tunc legebat is erat; iam iudicium mundi venit: iam princeps mundi huius ejicitur foras. Quem locum ita glossauit: Ecce Christus diabolum principem huius mundi vocavit, quia hunc mundum creauit. Cum quo predictus Hermannus latit durè disputauit, & sicut mihi retulit, quod Deus creasset omnia visibilia & inuisibilia, corporalia & spiritualia, non solù ex scripturis, sed ex oratione monstrauit. Hæc dicta sint de hæreticis, qui membra sunt diaboli; hoc enim noueris, quod multo intentius suā diabolus malitiam exerceat in hæreticis, quam in energumenis. APOLLONIVS: Possunt energumeni, id est obsessi a diabolo, habere charitatem? CÆSARIUS: Etiam, sicut superius dictum est, non in animabus, sed in corporibus est.

## C A P V T   XXVI .

*Per imprecatio-*  
*nē irati*

**M**ULIER quædam in Briseke satis crudeliter hoc anno vexabatur. Hanc diabolus cum esset quinquennis hoc ordine intravit. Die parentis, quædam cum lac manducaret, pater eius iratus dixit: *filia obſi-* Diabolus comedas in ventrem tuum. Mox puellula detur à sensit eius ingressum, & usque ad maturam ætatem ab diabolo. illo vexata est. Hoc anno primū meritis Apostolorum Petri